

libro *περί ἰχθύων, ποσειδωνίου*, id est, in dorso pictus cognominatus est. In ventre nullae apparent lineae; sed hic squammis tegitur argenteis. Pinnae sunt Spari, Canthari, Sargi, pinnis fimiles. Cauda subaurea. *Ventriculus* magnus cum multis appendicibus: intestina tenuia admodum, hepar rubrum, splen ex rubro nigrescens. Nutritur alga, carne, luto. *Altera species* in multis priori similis; suis Bogueravel appellatur, cujus cognominis significationem, non omnino assequi se potuisse ait; peritiores tamen piscatores credere, sic dici, quia cum Ravalles vulgo vocatis piscibus, id est, (inquit) minutis, quique simul elixantur, et apponuntur, nec propter parvitatem seliguntur, capiatur, et vendatur. Boopi (inquam) vel Maenae similis est; rostro magis acuto, dorso ex caeruleo rubescens: oculis magnis et variis, nimirum circa pupillam nigram circulo ex aureo nigrescente: corpore toto latiore quam Boops, sed brevior. Boopis haec nostra species peregrina dorso fere est violaceo, aut amethystino, lateribus et ventre candicantibus punctis amethystinis, conspersis: pinnis omnibus flavis praeter eam, quae in tergo est, cujus quidem aristae flavae sunt, membrata vero viridescit. *Tertiam*, quia squammis caret, huc pertinere non judico. Bellonius quoque *duas species* describit, dum dicit:

*Duae* hujus piscis cognoscuntur *differentiae*: siquidem earum *altera* minor est, et perpetuo parva, *altera* paulo major. Boces a Maenis ita distinguere poteris, quod Maenam videas esse latiori corporis compage, nigriore colore, et utrinque lituram unam habere. Boca perpetuo parva est, et pro sua magnitudine crassiori constat capite, corpore magis tereti. Boces et Maenae seu *Gerres* eandem corporis constitutionem, hoc est, pinnae, squammas, et capita habent. Boopes nulla litura variantur, sed ambo tereti corpore praediti sunt. *Giru-*

*li* autem seu Smarides magis nigricant, et lituris variegantur. Boces teretiores sunt. Giruli magis plani. Bocum color hilari ac quodammodo aureo fulgore nitet, ut tergora colore ad aurum inclinante micare credas. *Gregalis* est, et litoralis piscis, herbosis gaudens. Piscis est parvus, oculos pro corporis ratione grandes habens. Duos habet in capite calculos non prorsus rotundos, ut in Passeribus, sed oblongos, ut in Merlangis. *Alter Boops* Orpho aut alicubi ex rubris cognatus est. Littoralis, (inquit) pisciculus, qui Bogue et Renaeu (cum icone scriptum est Bogue Renaeu sine copula) Massiliensibus dicitur, is Genuensibus Ruello vocari solet. Coloris est ejusdem cum Erythrino pisce, dentibus, pinnis ac capite confimilibus, sed reliquo corpore differunt. Nam Box vulgarem Bocam refert, eodemque circino tornata esset, nisi magis ad Erythrinum accederet. Verum linea, quae corpus Erythrini interfecat, per medium utrimque arcuata est. In hoc autem recta praetenditur, neque Erythrini gibbum habet: Dentes praeterea anteriores breves et acutos ostendit, sed tam superiores quam inferiores molares sunt, ut Sargo, quod etiam Pagro et Erythrino accidit. Hanc quoque peculiarem notam insignem habet, quod ejus branchiarum exterior spina ad radices nigra est. Putat Ovidii Bogyrum esse, quod Massilienses a Boopa et Gyro, id est Smaride, nomen ipsi indiderint, sed mendum est in Ovidio, et Cercyrus legi debet, qui apud Oppianum, circa petras conchulis plenas degit. Iisdem cum Maenis locis gaudent, eodemque cibo vescuntur. De Carnis ejus qualitate ita Athenaeus. *Βωξ δ' ἐφθός, εὐπεπτός, εὐανήδотος, ὑγρόν ἀνείς, εὐκοίλιος. ὁ δ' ἀπ' ἀνδράκων γλυκύτερος, καὶ ἀπαλότερος.* *Bos elixus facile coquitur, facileque excernitur, jurulentum quid emittens, facilem alvum reddens. Assus succensis carbonibus suavior est et tenerior.*

In Provincia etiam aegris apponitur.